

12  
D. D.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

MORALITATE  
FACTI JOJADÆ,

QUOD DESCRIBITUR

II. Reg. XI: & II. Chron. XXIII.

QUAM

*Suffragante Amplissimo SENATU Philosophico in Regia  
ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES  
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

*Publicæ bonorum censuræ*

Pro LAUREA

*modeste submittit*

CAROLUS GUST. SILVIUS,

*DALLA-VERMELANDUS,*

In Audit. Maj. d. XXXI. Maji Anni MDCCLXVI.

H. A. M. C.

---

ABOÆ, impressit JOH. CHRIST. FRENCKELL.

D. D.  
INSTITUTIO ACADEMICA  
DE

MORALITATE  
FACTI JOHANNIS

QUOD DESCRIBITUR  
II Reg. VI & II Chron. XXIII.

JOHANNES  
PRÆSIDI

JOHANNES  
RHEIMARUM

GAROLUS GREGORIUS  
SILVIUS

M. A. M. C.

ADAM, JOHANNES, JOHANNES, JOHANNES, JOHANNES



## PRÆFATIO.



**I**ncidimus nuper in Tragœdiam, quæ appellatur *Olimpie*, a D:no VOLTAIRE conscriptam, quam ob inventionem, dispositionem, carminis elegantiam nec non aptitudinem in affectibus movendis multi perquam admirantur. Nec nos pretio ejusdem quidquam detractum volumus; optaremus solummodo, ne extra oleas hujus generis litteraturæ exspatiatus fuisset. Sed nimis forte ipsi placuit hoc opus; quare eidem annectit observationes Historicas, momenta quædam illustraturas. Comparationem præcipue instituit inter suum inventum & aliorum scripta, ut horum vitiis detectis, opusculi sui veneres atque elegantias coram ostendere possit. Scilicet STATIRAM, ALEXANDRI MAGNI conjugem & DARI CODOMANNI filiam, Babylone insectabatur CASSANDER, ipseque & ceteri omnes in illa versa-

bantur opinione, Principem hanc in tumultu, post mortem Regis Macedonum orto, interiisse. Revera tamen hinc viva quidem, sed vulnere faucia e-  
 lapsa, in delubrum quoddam prope Ephesum sese  
 abdidisse perhibetur; ubi summus Sacerdos, HIE-  
 ROPHANTES dictus, benigne illam excepit. Inter  
 cetera autem spolia, quæ domum retulit ANTIPA-  
 TER fuit OLYMPIAS, ALEXANDRI ex STATIRA filia,  
 quam cum CASSANDER, Antipatri filius, in ma-  
 trimonium ducere cuperet, inter ipsum & ANTIGO-  
 NUM, qui easdem ambiabat nuptias, gravissima or-  
 ta fuit contentio, adeo ut armati & militibus suis  
 stipati ad templum concurrerent, OLYMPIADEM, ob  
 formæ venustatem & amplissima nativitatis jura ma-  
 xime expetendam, sibi vindicaturi. Timebat inter-  
 ea CASSANDER, ne HIEROPHANTES, qui spem  
 obtinendi OLYMPIADEM sibi faciebat nullam, par-  
 tibus atque desideriis favoriseret ANTIGONI, quod cum  
 ipsi in hac scena exprobraret, ab HIEROPHANTE  
 hoc tulit responsum:

*Me préservent les Cieux de passer les limites,  
 Que mon culte paisible à mon zèle a prescrites.  
 Les intrigues des Cours, les cris des factions,  
 Des Humains que je suis les tristes passions,  
 N'ont point encor troublé nos retraites obscures: &c.*

Pulchra omnino & placida verba, sed quæ mox in-  
 sequuntur horrenda fulmina. Hinc enim occasio-  
 nem sibi sumit nominatus Auctor in suis observa-  
 tionibus non solum Tragœdiam, a RACINO pri-  
 dem



dem conscriptam, quæ vocatur *Athalie*, reprehendendi, sed & ipsam Sacram Scripturam obliquo dente rodendi; ostendere conatus, HIEROPHANTEM suum Summo Judæorum Pontifici JOJADÆ, qui ATHALIAM interficiendam curavit, longe anteferendum esse: immo varia interferit momenta, quæ ad convellendam Sacri Codicis dignitatem & auctoritatem haud parum facere videntur. Plerisque autem horum jam missis, moralitatem facti JOJADÆ solum expendemus; Tuam B. L. tanto certius nobis promittentes benevolentiam, quanto ægrius Te, pro eo, quo es, animi candore ferre sciamus eorum molimina, qui ut ingenii sui acumen probent, humana pervertere & Divina quoque conculcare non dubitant, ut Olympiacis fragmentis, si fieri posset, insipientes tanto eminentiores videantur.

§. I.

Antequam de moralitate facti JOJADÆ quidquam statuere possimus, Historiam illius paucis exponemus. Quamquam igitur DEUS populum Israëliticum in proprium sibi delegisset, & hic proinde ad sedulam operam virtutibus navandam obligatus esset; testantur tamen sacra Monumenta, quod & Reges plerique & ipsi cives gravissimis vitiis sese iterum iterumque polluerint. Immo quidam Regum non aliter se securitatem obtenturos crediderunt, quam si tam Principum, quam inprimis propinquorum suorum sanguinem copiose effunderent. Hanc opinio-

nionem fovebat etiam Rex Judæorum JORAMUS, *Josaphati* filius, qui circa regni auspicia omnes fratres suos, & multos insuper procerum Judæorum trucidandos curavit. Sed tantum scelus novo cumulavit crimine, in matrimonium ducendo ATHALIAM, Israëlitarum Regis *Amri* filiam & *Achabi* sororem, quæ ipsum pellexit ad instaurandum Hierosolymis cultum gentilium. Quemadmodum autem tragicum civibus fuit imperium *Jorami*; ita brevi post tragicum ipse habuit vitæ exitum. Patris fati nihil movebatur filius AHAZIA, qui ei in imperium successit, sed Matris *Athaliæ*, feminæ ambitiosæ ac superstitiosæ, voluntati impotenter morem gerebat; quare etiam cum per unum annum regnasset, a JEHU occisus fuit una cum fratribus suis. Hoc factò, *Athalia* gubernacula imperii Judaici sibi arripuit, atque ne quis ipsam in posterum dejiceret, omnem progeniem Davidis, adhuc superstitem, penitus eradicare conata fuit. Successerat forte ipsi facinus, nisi JOSEBA *Jorami* filia, quæ Summo Pontifici *Joadæ* in matrimonium data erat, JOAM, fratris *Ahazie* filium, jam tunc annum natum, crudelitati *Athaliæ* tempestive subduxerat & marito custodiendum in templo tradiderat. Posthæc *Athalia* omnem movit lapidem, ut verum cultum DEI per Regnum Judaicum exstirparet, omnia insuper loca cædibus implens. Omnibus jam animos despondentibus, nec meliorem rerum conditionem expectantibus, cum quisque Principes omnes a Davide oriundos jam dudum e medio sublatos crederet, *Joadas*, qui proximum

mum a Rege locum tenebat, tempus esse ratus, ad-  
 flictissimæ succurrendi patriæ, proceres Judæorum ad  
 se arcessivit, illisque Principem *Joam*, postquam fi-  
 dem illorum jurisjurandi religione prius obstrinxe-  
 rat, monstrat, qui confestim erectis animis & di-  
 gitis homagium ipsi præstiterunt. Hinc *Joadas* con-  
 silium cum illis inivit de tyrannide *Athaliæ* cobi-  
 benda & de flagitiosa hac Regina, in cujus perni-  
 cie suam quisque salutem tunc positam putabat,  
 quantocyus occidenda, quod etiam peregerunt, ceu  
 Scriptura Sacra plenius docet. Atque hoc ipsum  
 factum *Joadæ* ad præcepta tam moralia quam po-  
 litica nunc examinabimus.

§. II.

Constituuntur, ut notum ponimus, imperia  
 quævis pacto, circa horum initia inter Principem  
 & cives inito, vi cujus ille curam integræ civitatis  
 in se suscipit, jurejurando se plerumque obstringens,  
 se omnia ea facturum, quæ ad florem, firmitatem atq;  
 tranquillitatem civium conducant, & hi rursus reli-  
 giose promittunt, se jugi studio effecturos, quicquid  
 ipse e re publica esse judicaverit. Quisque igitur fa-  
 cile intelligit, eo lætorem futuram imperii faciem,  
 quo accuratius & Princeps & cives partibus officii  
 sui fungantur. Verumenimvero sicut varia est mor-  
 talium indoles, ita fieri quoque potest, ut Princeps  
 modo præter opinionem, modo pravis adfectibus  
 in transversum actus multum iniqui in unum vel  
 aii-



aliquot cives subinde committat; quo tamen in casu officium postulat, ut talem injuriam ille vel hi patienti ferant animo, atque a vitæ innocentia & Divina Providentia reparationem immeritæ calamitatis expectent, præsertim cum ferocia molimina statum reipublicæ vehementer turbent. At si Principis durities eo usque processerit, ut vel in majorem, vel, quod idem plerumque censetur, in præstantiorem civium partem sævitiam exerceat eum solummodo in finem, ut his vel extirpatis vel ad incitas redactis, imperium quam diutissime ex suo arbitrio administret; migrat omnino pactum imperii fundamentale, siquidem in perniciem non autem in salutem populi est intentus, adeoque cives, urgente ipsa necessitate, in statum naturalem revertuntur, & proinde quin vim tali oppressori juste opponere queant, nemo dubitat. Crudeli hac ratione contra Judæos sese gessit Athalia; nam, ut vidimus, circa regni sui initia omnem stirpem Regiam extirpare tibi proposuerat, & deinde per sex annos, quibus summam imperii tenuit, multorum sanguinem temere effuderat. Cumque adeo singula ejus molimina eo tenderent, ut Judæos quam infirmissimos redderet; evidens est, illam pactum imperiorum cardinale violasse, ideoque Jojadas ceterique, qui ipsius favebant partibus, non privatam sed publicam omnino egerunt causam, dum horrendis Reginæ hujus oppressionibus, a quibus nemini amplius satis cautum erat, finem imposuerunt, illamque propter nefaria scelera occidendam curarunt.



runt. Neque sic transgressi sunt legem naturalem, quippe quæ sui defensionem singulis contra injustam vim in statu naturali permittit, in quem Judæi per tyrannidem Athaliæ tunc devenerant. Denique sicut THRASYBULUS non taxatur, sed merito celebratur, quod patriam suam a crudeli dominatione triginta Tyrannorum liberaverit, licet horum vexationes vix majores essent, quam quibus populum Judaicum afflixerat Athalia; ita immerito male audit Jojadas, quod heroica actione patriam ab imminente exitio in tranquillitatem vindicaverit.

§. III.

Ad continuum civitatis florem, quem omni nisu promovere debet Princeps, nihil æque facit, quam ut cives egregiis moribus seu virtutibus jugiter imbuantur. Quem vero in finem multum confert Religio, tutissimum illud civitatis Palladium; quare etiam bono Principi incumbit teneram hujus curam semper agere. Non equidem diffitemur, quin Religio viam inprimis monstret, quam insistentes, futuræ felicitatis participes redduntur homines; interim tamen cum isthæc beatitudo præmium sit illud, quod propter vitam probe transactam Deus ex sua gratia virtutum alumnis donat, sequitur quod ipsa eosdem ad præclara quævis facienda excitet ac ducat. Quamobrem Princeps, qui Religionem introductam figmentis quibusvis, ad vitiorum illecebras cives ducentibus, opplet, illamque ita cor-

rumpit, vehementissime nocet Reipublicæ, sibi que propositum esse ostendit, ut suæ vel vanitati vel ambitioni, etiam cum pernicie civitatis, satisfaciat. Quod si igitur veræ Religionis lucem regiones ipsius potestati subjectas collustrare fecerit Supremum Numen, & imperans tamen eandem variis modis & pervertere & opprimere non dubitet, longe gravissime transgreditur pactum civitatis fundamentale, siquidem non solum civilem populi felicitatem parum faciat, verum quantum in se est, omnem navet operam, ut post calamitosam hancce vitam æternos cives perpetiantur cruciatus. Quod tanta mala æquo animo ferre debeant cives, etiam cum nec precibus nec monitis eadem mutata vident, non alii contendunt, quam qui totum genus humanum ideo conditum esse sibi aliisque persuadent, ut paucorum feroci inserviat libidini. Fiat jam horum applicatio ad imperium Judaicum, regnante Athalia. Notum igitur est, quod Regina hæc miraculis atque beneficiis, quæ in favorem populi sui Deus patranda curaverat, & quorum partem ipsa viderat vel certe audiverat, nihil omnino fuerit commota, sed eodem zelo, quo JEHU, Rex Israëlitrum, cultus idololatriæ ministros atque monumenta per imperium suum extirpabat, ipsa languentem in Judæa Religionem penitus eradicare fuerit conata. Quæ causa ipsam ad tantum impellere potuit facinus, nostrum non est jam disquirere, sed varias, quas produciunt Auctores, illis defendendas relinquimus; sufficiat monuisse, quod tantum

tum jam pridem in aliam Religionem conceperat odium, ut nisi ferociæ ipsius valida quis objecisset impedimenta, illam citius serius oblitterasset. Quæ igitur ab Athalia exspectari potuit fides, quum humana omnia & Divina jura arroganter conculcaret? Quis etiam sub illa imperii Judaici fuisset status, aut quæ tranquillitas? Sibi itaque, non Jojadæ atque ceteris, qui ab ipsius stabant partibus, imputare debuit Athalia, quum ad eas usque incitas illos redegisset, ut ipsa incolumi de civili æque ac de æterna salute desperare cogerentur, quod in tristissimo hocce rerum articulo utramque strictis acinacibus vindicaverint.

§. IV.

In gradibus officiorum rite æstimandis primum omnino locum sibi vindicant ea, quæ Deo præstare debemus, quippe qui non solum existentiam nobis concessit, verum ingentia insuper beneficia in nos quotidie cumulat, & proinde in collisione officiorum, officiis erga Deum officia quæcunque alia cedere debent. Ponamus igitur, Principem aliquid præcipere, quod mandatis Divinis, sive ratione cognitis, sive alias revelatis e diametro repugnet; statim patet, cives ejusmodi legibus atque institutis non teneri, neque enim æquum est Divino renuntiare imperio, ut jussis imperantis satisfaciamus, quum ejusmodi reverentia species gravissimæ idololatriæ foret. Ponamus iterum, Principem hac ci-



vium tergiverfatione offendi & quosdam ad falſam Religionem atrociter cogere, alios autem a vero DEI cultu quovis modo impedire; in hoc quidem caſu tutiſſimum eſſet, ſævitix hujus Principis ſeſe ſubducere, atque in alienis terris opportunum quærere aſylum. Hoc autem tum demum ſuccedit, ubi unum vel aliquot cives perſecutio adfligat; at ſi eadem ad integrum extendatur populum, hic certe patriam deſerere non tenetur, cum incertum valde ſit, ubinam & quibus conditionibus ſuos alibi conſtituere queat penates. Nihil itaque aliud tunc ſuperreſt, quam ut cives perverſo ejusmodi imperio ſeſe ſubducant, & ſecuritatem eo modo quærant, quem diſtat & præſcribit Lex Naturæ. Neque hac ratione in caſu extremæ neceſſitatis ſe gerendo, violant juramentum illud fidelitatis, quod Principi præſtiterunt, ſiquidem hoc non eſt abſolutum, ſed hypotheticum, obedientiamque ſuam Imperanti obſtringunt in omnibus, quæ mandatis Divinis non contrariantur. Hæc ipſa ratio nos affatim docet; aſt in Religione Judaica inſuper præcepta majus quid exigentia continebantur. Cum enim Deus ſatis videret, quantum Populus Iſraëliticus ad cultum ſuperſtitioſum gentilium præpenderet, poſtquam legem ſuam illi conceſſit, eandem hac communivit pœna, ut ſi quis alterum ab iſthac Religione ſeducere ſatageret, mortis ſupplicio conſeſſim adſiceretur, quamvis jura amicitix, conſanguinitatis, & reverentiæ condonationem poſtularent (\*).

Quis

---

(\*) DEUT. XIII.

Quis vero dicat, ab hujus legis rigore exemptum fuisse, qui universo populo, cum posset, cultum idololatricum obruderet. Quum igitur hoc modo se gessisset Athalia, effecissetque, ut cives collisionem inter officia DEO ac Principi præstanda experirentur, nec *Joadas* nec ceteri male egisse sunt censendi, quod illa his præferrent, atque impiam Reginam pœna, qua digna fuit, tandem adficerent, præsertim cum spes nulla superesset, ipsam ad meliorem frugem aliquando reversuram. Sane cum Deus ipse approbaverit factum *PINEHÆ*, *Eleazari* filii, qui Principem Israëliticum *Simri* dictum, exemplo magis ac deperdita vita, quam immanibus jussis ceteros ad cultum Midianiticum seducentem, in flagranti scelere interfecit (†); probabile non est, quod ausum *Joadæ*, quem par zelus veri cultus incendisse videtur, ipsi displicuerit.

§. V.

Magna esse imperii jura, nemo facile diffitebitur, quamobrem etiam requiritur, ut qui iisdem fruitur, legitimo titulo ipsa sibi acquisiverit. Habent autem singula imperia bene constituta leges suas fundamentales, quæ, cum alia, tum in primis succedendi modum accurate determinant. Quod si igitur quis malis quibusdam technis & ne jure quidem belli imperium sibi arripuerit contra tenorem

B 3

legum

---

(†) NUM. XXV, II.

legum modo memoratarum, talis utique non Princeps sed usurpator Regiæ potestatis haberi debet. Enimvero non tam æquitas, quam prudentia postulat, ut huic obedientiam præstent cives, quamdiu legitimus Princeps sua sibi jura vindicare non valeat, & ille imperio non temere abutatur. At si interjecto tempore utrumque contingat, nulli dubitamus, quin talis usurpator juste exui possit dignitate, quam injusto modo sibi adseruit. His breviter præmissis ad *Athalia* transitum faciamus. Erat quidem hæc defuncti Regis *Abazie* Mater, sed si MAIMONIDEM audiamus, ipse in libro quem *Melachim* appellat, diserte contendit, apud Judæos legibus cautum fuisse, ne sexus femineus ad imperium admitteretur. Cui si adsurgamus, evidens est, quod *Athalia* nullo jure munita imperii habenas capessiverit ac tenuerit. Sin hæc sententia minus tuta videatur, propterea quod JOSEPHUS (\*) perhibeat, ALEXANDRAM *Johannis* conjugem post obitum Mariti per septem annos regno præfuisse; salva hac hypothese, potiori tamen jure summâ imperii pertinebat ad *Joadam*, qui *Abazie* sororem in matrimonium duxerat, & quidem juxta ordinem successionis apud omnes fere gentes receptum. Sed Scriptura Sacra satis superque docet, Summum hunc Pontificem in præsentissimum discrimen se & patriam suam conjecisse, non ut ipse supremum honoris gradum ascenderet, sed ut JOÆ, vero atque  
legi-

---

(\*) *Antiquitat. Lib. XIII. Cap. XXIV.*



legitimo imperii heredi, cui ipse & universus populus Judaicus fidelitatem & subjectionem debebat, imperium adfereret. Quod iniquum fuisse non alius adfirmabit, nisi qui jura omnia ex sola potentia perverse aestimet. Præterea cum nemo adhuc, quantum quidem nobis constat, vituperavit molimina Ducis Scotiæ, MONCK nuncupati, qui legitimo Britanniæ Principi CAROLO II regnum contra RICHARDUM CROMWELLIUM fortiter vindicavit, quamvis hic, qua fuit simplicitate, nihil Anglis nocuisset, Pater vero ejus OLIVERIUS CROMWELLIUS ad florem patriæ suæ haud parum contulisset; nulla omnino subest causa, quare *Joas*, ob vindicata Principi jura & populo libertatem, male audiat, præsertim cum plures & graviores pro justitia ejus facti pugnent rationes. Denique erit & hoc addendum, quod familia Regum Israëlitarum, ex qua Athalia fuit orta, Deo ob continuam & execrandam idololatriam valde displicuerit, & proinde Supremo Numini ingratum esse non potuerit, quod *Joas*, ex Domo Davidis ortus, cujus posteris DEUS solum Judaicum promiserat, ad fruitionem jurium suorum, etiam cum pernicie Athaliæ, pervenerit.

§. VI.

Multi quidem contra ea, quæ in medium hætenus attulimus, moveri possunt ac solent dubia, quorum tamen pleraque huc ferme redeunt: 1:mo  
Quod

Quod, cum *Joadas* procul dubio homagium Regi-  
 næ *Athaliæ* præstiterit, male egerit, quod illud de-  
 inceps violaverit. 2:do Quod ordini Sacerdotali mi-  
 nus conveniat, gravissimis ejusmodi negotiis, quæ  
 summam imperii concernunt, sese immiscere. 3:tio  
 Quod *Joadas* monitis eo facile *Athalam*, decrepi-  
 tæ jam ætatis Reginam, perducere potuisset, ut  
*Joam*, unicum tunc familiæ suæ surculum, supersti-  
 tem & adhuc infantem, suæ ambitioni non im-  
 molasset. Ad quæ breviter respondebimus. Et qui-  
 dem quod ad primum momentum attinet, solide  
 docent *Moralistæ*, cum quod juramenta, etiam quæ  
 metu justo exiguntur, probe sint servanda, tum  
 contra, quod jurajuranda metu injusto extorta  
 nullam obligandi vim habeant. Jam vero *Athalia*,  
 ceu in antecedentibus ostendimus, nullo jure re-  
 gnum Judaicum sibi arrogaverat, & proinde Ju-  
 dæi metu injusto percussi homagium ipsi præstite-  
 rant, unde porro sequitur, quod injuste nequa-  
 quam egerint, dum oppressionibus ejus mascule se-  
 se opposuerunt. Quod ad alterum; sicut non ne-  
 gamus, quod ordinem Sacerdotalem eximie deceat,  
 tum modestiam alios docere, tum hac & ceteris  
 virtutibus reliquos præire: ita simul verum est,  
 quod, cum cives sint reipublicæ, non pauciora ab  
 his, quam a ceteris civibus requirantur officia.  
 Quis igitur dubitat, quin Sacerdos etiam labanti  
 patriæ moli, firmos, cum possit, subdere debeat  
 humeros, atque imminentem avertere ruinam, præ-  
 fertim dum ipsa vera Religio admodum periclitetur?

Con-

Constat autem, quod Athalia & Religionem & regionem ita turbaverat, ut utraque in ipso agone videretur constituta, ultimum spiritum brevi exhalatura, nisi cruentis Athaliæ manibus protinus eriperetur. Vidit hoc *Joadas*, vidit etiam nullum remedium his malis, superstite Athalia, suffecturum. Decrevit igitur ejus perniciem, & ut Sacerdos & ut gravis civis & denique ut Primas quidam Regni; quo ipso migravit quidem officia Reginae huic debita, sed quæ nulla erant, ut satisfaceret officiis DEO & patriæ præstandis. Quæ igitur culpa in eum jam redundat? Tertium denique dubium a veri specie & prudentiæ regulis longissime est remotum. Athalia non pepercerat *Joæ*, in cunis vagienti, si illum deprehendisset; qua fronte itaque adferitur, quod illum ambitioni & securitati suæ non immolasset, cum vidisset, ipsum a *Joadâ* ita esse educatum, ut præclara quævis de eo concipere cives possent sui? Quare non prudens sed vectors fuisset *Joadas*, si *Joam*, quem servatum anxie cupiebat, in præsentissimum discrimen & Athaliæ manus conjecisset. Quale si quis adfuisse neget, dicat quæso, quo pignore constet, fervorem Athaliæ extirpandi furculos, ex stirpe Davidis ortos, post sex annorum decursum penitus deferbuisset?

§. VII.

Denique non est ferendum vitium quoddam Chronologicum, quod in observationibus ad di-



Etam Tragœdiam committitur, dum statuit Auctor, Athaliam anno ætatis centesimo sexto fuisse interentam. Ita autem calculos subducit:

Athalia in matrimonium data fuit Joramō A:o æt. 15	15
Peperit quadraginta duos filios	42
Ahazias minimus natu imperii habenas capeffiv vit anno ætatis	42
Regnavit per unum annum	1
Post cujus obitum Athalia regnavit per VI. ann.	6

---

Summa 106

Fallit vero hic calculus in eo præcipue, quod statuatur, Athaliam XLII filios genuiffe. Quod falsum. Nam 1:mo quamvis Ahaziæ fratres totidem memorentur, non tamen inde fequitur eodẽ omnes ab Athalia prognatos fuiſſe; quum 2:do inſolitum plane ſit, quin & ordini naturæ repugnet, unicam feminam XLII filios parere. 3:tio Stylo Biblico propinqui & conſanguinei alicujus sæpe dicuntur fratres ejuſdem, quod etiam hoc loco fieri ex coll. 2 *Chron.* 22: 8. dilucide patet. 4:to Denique cum Athaliæ conjux Joramus, anno ætatis quadrageſimo deceſſerit, ex unica hac conjuge XLII filios ſuſcipere non potuit, niſi ipſam non infantem, ſed pullos quosdam humanæ ſpeciei quavis vice enixam fuiſſe, audacter magis quam vere quis adferat.

serat. Quare calculos suos rectius, nec invitis Sa-  
 cris Litteris subducunt, qui Athaliam mortuo filio  
 LX circiter annos natam fuisse colligunt, adeoque  
 ea ætate fuisse, ut Joam e medio facile sustu-  
 lisset, si illum ejus furori objecisset  
 Jojadas.

S. D. G.



AUCTORI CLARISSIMO.

**E**st opus Heroum patriam prohibere ruina,  
Adferere & Regi jura sacrata suo.  
Jojadas hoc fecit. Factum meritoque probari,  
Evincit SILVI docta Camena satis.  
Gratulor ingenium: viridem gratorque coronam,  
Quam mox excipiant præmia digna, precor.

A. L. BERGMARK.

---

Til Herr CANDIDATEN.

**E**t Land, där wisshet spiran förer,  
Och delar sina mogna råd,  
Droas ej af öfverdåd,  
Och intet wäld des sällhet störer.

Öf Skriften denna sanning lärer;  
När JOJADAS det wärket dref,  
Att enda Prinsen smorder bles,  
Och FarMors hämnd sig sjelf förtärer.

Min Wän, Dig wisshet endast leder  
Att föra denna saken ut.  
Du önskar jag ock til et slut:  
Att Lyckan sjelf Din frants bereder.

J. LINDWALL.